

*charitesia* pararunt mulierculis decipiendis idonea (n). Ex his *Marcellina* prius ab illis decepta, multos corrupit Romæ, temporibus *Arsiceti* episcopi (o). Plura legere qui vult, *Eusebium* adeat, *Augustinum* de Hæres. & in eundem *Danaum*, *Arnoldum* denique ipsum, qui nullam hujus sectæ excusationem habere locum fatetur.

§. XI. Plures essent, qui secundum seriem seculorum in scenam produci possent hæretici, per mulierculas varie deceptas suam sectam amplificantes: at cum prolixè eos recensendo dudum nobis hac in re otia fecit *Celeb. Schmidius* l. c. hinc plurimis prætermisissis, *Hieronimi* amplius, quem initio laudavimus, alibi expressa vestigia legimus, & in quos porro aptissime quadrent Apostoli verba, scrutamur.

§. XII. Respici igitur D. *Hieronimus* (p) ad illos quoque hoc in loco autumat, qui multiplici suo fraudum genere, malisque, quas sub cucullis suis fovere solent, artibus magnæ humani generis parti subdole imposuerunt, Monachos nempe *Impostores*, eosque tantum studii, operæ, industriæ in captivandis mulierculis adhibere tradit, ut iisdem fere verbis *Eustochio* suæ describat, quibus *Timotheo* depinxit *Paulus*. *Viros quoque*, scribit ad eam, *fuge, quos videris catenatos, quibus fæminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientiæ frigoris pedes. Hac omnia argumenta sunt Diaboli. Talem olim Antonium, talem nuper Sophronium Roma congemuit, qui postquam nobilium introierunt domos & deceperunt mulierculas oneratas peccatis, semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, tristitiam simulant & quasi longa jejunia furtivis noctium cibus protrahunt. Sunt alii, (de mei ordinis hominibus loquor) qui ideo presbyterium & diaconatum ambiunt, ut mulieres licentius videant.* Ecquis hic Monachorum

(n) *Iren. l. c. cap. XXIV.* (o) *Iren. l. c. Epiphan. her. 27.* (p) *in Epist. ad Eustochium.*